

**De fungo medullari testiculi : dissertatio inauguralis medico-chirurgica ... / auctor Franciscus Valentini.**

**Contributors**

Valentini, Franciscus, 1817-

**Publication/Creation**

Berolini : Typis Starckianis, [1841]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ehqgnt4m>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

2400 DE 52480/10  
**FUNGO MEDULLARI TESTICULI.**

---

**DISSERTATIO**

**INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA**

**QUAM**

**CONSENSU ET AUCTORITATE**

**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**

**IN**

**ALMA LITERARUM UNIVERSITATE**

**FRIDERICA GUILIELMA**

**UT SUMMI**

**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

**RITE SIBI CONCEDANTUR**

***DIE XXXI. M. IVLII A. MDCCCXLI.***

**H. L. Q. S.**

**PUBLICICE DEFENDET**

**AUCTOR**

**FRANCISCUS VALENTINI**

**BEROLINENSIS.**

---

**OPPONENTIBUS**

**W. WESTPHAL. DR. MED. ET CHIR.**

**A. WEGNER. CAND. MED.**

**F. HOFFMANN. STUD. PHILOS.**

---

**BEROLINI.**

**TYPIS STARCKIANIS.**



1P. 1VAL



**V I R O**

AMPLISSIMO, ORNATISSIMO, HUMANISSIMO

**J. C. J. LOHMEYER,**

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO-CHIRURGO-  
RUM CASTRENSIUM REIQUE MEDICINALI MILITARI BORUSS-  
ICAE PRAEFECTO SUPERIORI, ORDINIS AQUILAE RUBRAE  
IN TERTIA CLASSE CUM LAQUEO EQUITI, ETC. ETC.

SUMME VENERANDO,



V I R O

APPLISSIMO ORGATISSIMO HUMANISSIMO

J. C. J. I. H. E. R. NEC NON

MEDICINAE ET CHIRURGICAE DOCTORUM, MEDICO-CHIRURGO-  
RUM FACULTATIS RECTOR, MEDICINAE DOCTORUM, MEDICINAE  
HAB. FRANKFURTI SUPERIORIS, ORDINIS AUSTRIAE RITUALIS  
IN TERRA CLASSIS, ET LITURGO RITUALIS, ETC.

SI ME VENERAZDO



# PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

AUCTOR

# **HOC TIROCINIUM**

**D. D. D.**

**AUCTOR.**



## DE FUNGO MEDULLARI TESTICULI.

**F**ungus medullaris praeter scirrhum et cancerum, multo rariorem, solus testiculi est morbus plane exitialis. Tantum memoratu dignius est, huiusce tam insignis morbi dissimilitudinem cum scirrho externam non prius quam ineunte nostro seculo innotuisse.

Ut omnino fungi medullaris, ita et huius morbi in testiculo residentis diagnosin medicis debemus Anglicis. Henr. Callisen <sup>1)</sup> quidem de fungo quodam testium jam loquitur, sed obiter tantum morbum novisse videtur. Primi tamen, qui fungum medullarem descripserunt et a scirrho et cancro distinxerunt, John Burns <sup>2)</sup> et William Hey <sup>3)</sup> sedis eius in testiculo mentionem non faciunt, sed John Abernethy <sup>4)</sup> eum praecipue hoc in organo observavit, nomen solitum „soft cancer” propter naturam canceri diversam vituperavit eique ob pulposam

---

<sup>1)</sup> Systema chirurgiae hodiernae. Haf. 1790. Vol. II. sub Sarcocele.

<sup>2)</sup> Dissertations on Inflammation. Glasgow 1800. Vol. II. p. 302.

<sup>3)</sup> Practical observations in Surgery, illustrated by cases London 1810 pag. 243.

<sup>4)</sup> Surgical observations on tumours. London 1811. pag. 56.



mollitiem et similitudinem cum substantia cerebri, nomen „pulpy or medullary Sarcoma” praebuit. Quorum tamen virorum observationes nimis singulares erant, quam quae statim locum in chirurgia obtinuerint debitum. James Wardrop <sup>1)</sup> demum priorum observationibus multas proprias addidit; praecipue structuram anatomicam et sedem fungi haematodis eiusque nominis fines constituere tentavit. Opusculum eius systema, ut ita dicam, fungi medullaris praebet, nam haud brevem seriem casuum in organis maxime opportunis observatorum enumerat; morbum nomine „pulpy testicle” primum per M. Baillie <sup>2)</sup> a scirrho esse distinctum dicit, nomine „fungus haematodes” ab Hey invento secundum signa ante et post mortem observata eum describit, diagnosin constituit, et tres casus descriptos tabulis adiectis illustrat.

Post Wardrop fere omnes chirurgi Anglici nomen „fungi haematodis testiculi” usurparunt, et pauci tantum nomine „medullary Sarcoma” utuntur, nisi fortasse tempore recentiori nomen „fungoid disease” ab Astley Cooper <sup>3)</sup> adhibitum, frequentius usurpetur.

In Francogallia morbum Velpeau <sup>4)</sup> „Cancér cérébriforme du testicule,” Roux <sup>5)</sup> „Cancer mou, fongeuse

---

<sup>1)</sup> Observations on fungus haematodes or soft cancer etc. Edinb. 1809.

<sup>2)</sup> The morbid anatomy of some of the most important parts of the human body. London 1793. pag. 235.

<sup>3)</sup> Observations on the structure and diseases of the testis. London 1830. pag. 118.

<sup>4)</sup> Mémoire sur les maladies cancéreuses, d'après des observations de la Clinique de M. le Professeur Bougon. Dans la Revue médicale française et étrangère. Année 1825. T. I. p. 227.

<sup>5)</sup> Relation d'un Voyage fait à Londres en 1814. Paris 1815. pag. 215.



du testicule," Breschet<sup>1)</sup> „Carcinome du testicule," Maunoir<sup>2)</sup> „Fongus medullaire du testicule" nominarunt, quamquam plurimi nomine vago „Sarcocele" utuntur.

In Italia, fungum medullarem in testiculo sicuti in ullo viscere residere posse, Scarpa<sup>3)</sup> negavit, morbumque in Italia rarum „Struma, Struma spugnosa del testiculo, Testiculum fungosum" nuncupavit. Mascheroni<sup>4)</sup> et Cornelianiani<sup>5)</sup> tamen fungum medullarem et strumam eundem morbum esse fatentur, quamvis hic vituperaverit nomen Anglorum a Mascheroni acceptum.

Chirurgi Germani, uti Meckel, Langenbeck, Heusinger, Phil. a Walther, Wedemeyer, Chelius, Nisle, Otto, quorum singulorum opera longum est enumerare, morbum una cum Maunoir praecipue „Fungum medullarem testiculi, Markschwamm des Hoden," sed etiam „Medullar- oder Mark-Sarcom, Encephaloid des Hoden, Breihode, Hodenschwamm, weichen Krebs" nominant.

<sup>1)</sup> Dictionnaire des Sc. med. Tome 20. Art. Hématodes ou Fungus hématodes. pag. 215.

<sup>2)</sup> Mémoire sur les fongus médullaire et hématode. Paris, Genève 1820. pag. 40 et 44.

<sup>3)</sup> Sullo scirro e sul cancro. Milano 1821. Epistolae duae ejusdem Paviae ad Maunoir scriptae, in libello huius praemio ornato pag. 133 et 135.

<sup>4)</sup> Storia di testicolo affetto da fungo haematodes, demolito da don Tommasso Volpi; comunicata all' editore dal Clemente Mascheroni nelle Annali universali di medicina di A. Omodei. Milano 1818. Vol. VI. pag. 213.

<sup>5)</sup> Riflessioni del signor dottore Carlo Cornelianiani sopra il caso di fungo haematodes del testicolo, riferito da Mascheroni nelle Annali universali di medicina di A. Omodei. Milano 1818. Vol. VII. pag. 72.



## SYMPTOMATOLOGIA.

Fungus medullaris testiculi aut in hoc organo ipso, aut rarius in epididymide incipere solet. Alteruter, rarissime uterque testiculus affectus sensim et aequaliter tumescit et indurescit; superficies laevis, forma ovalis manet, raro similior fit globo; pressio dolorem non movet, quamobrem aegrotus saepissime non prius, quam longe processerit morbus, animum ad eum advertit; mox tamen tumor mole et funiculi spermatici tensione nocere incipit; epididymis a teste non amplius discernitur. Postea testis duriusculus in molliorem mutatur tumorem; vis elastica sensim crescens distinctae demum sed falsae cedit fluctuationi, ita ut clarissimi chirurgi tumorem hydrocelen habuerint, neque errorem nisi incisione facta cognoverint; qui quidem sensus fluctuationis in nulla alia fungo medullari correpta parte tam distincte percipitur, quam in testiculo. Dolor, initio exiguus vel nullus, per intervalla recurrere coepit, pressione tamen nondum augetur. Volumen et pondus organi aucta extendunt tunicas circumdantes, in quarum extrema, quod ad colorem immutata, venarum cernuntur dilatatarum ramificationes; nonnunquam inter scrotum et testiculum aqua sentitur; postremo tamen concrescunt. Vis generandi sensim diminuta tandem exstinguitur. Funiculus spermaticus nisi durescat, minime tumescit; venae eius uti in Varicocele dilatantur; postea durior breviorque factus cum regione pubis concrescit, et testiculum immobilem reddit. Testiculo iam ad magnitudinem capitis foetalis sex septemve mensium amplificato, in superficie livescente, interdum inaequali, tactu duriores sentiuntur regiones et molliores, quae abscessus instar fluctuantes rupturam minari videntur. Ae-



grotus subinde doloribus fugitivis, lancinantibus, a medio tumore exeuntibus, cruciatur, qui per femur, praecipue tamen secundum funiculum spermaticum ad regionem lumbarem usque propagantur. Hic tactu intumescencia maior minorve, columnae vertebrali adhaerens, distinguitur, cuius dolor pressione augetur. Glandulae lymphaticae inguinales lateris affecti, interdum quoque integri, saepius ad haud mediocrem amplitudinem tumefactae, cutem extensam, livescentem, demum inflammata perforant, quo facto e sinu hiscente fungi Brassicae oleraceae botrytidi haud dissimiles emergunt, qui tacti propter vasa tenuia et dilatata facillime sanguinem mittunt, et saniem decolorem, putridam, corrodentem excernunt. Qui tamen vulgaris fungi medullaris transitus in stadium secundum, quo tumor extrinsecus sponte rumpitur, in testiculo nunquam observatus est. Nemo exemplum obtulit praeter Astley Cooper, quod in decursu fungi medullaris testiculi rupturam ejus spontaneam et excrescentias tales fungosas ortas esse, memoret. Astley Cooper<sup>1)</sup> ipse exitum talem nunquam expectasse videtur, sed potius supposuisse; in pluribus enim enarratis casibus testiculum degeneratum simulatque cognovit, castratione removit. Sed alii chirurgi, qui, ne operatione exitus lethalis acceleraretur, timebant, nunquam fungum medullarem testiculi apertum observarunt. Howship<sup>2)</sup> solus, qui test-

---

<sup>1)</sup> The Lectures of Sir Astley Cooper, Bart. ect. on the Principle and Practice of Surgery; with additional Notes and Cases by F. Tyrrel, Esq. ect. London 1824. Vol. II.

Observations on the structure and diseases of the testis. London 1830.

<sup>2)</sup> Practical observations in surgery and morbid anatomy. London 1816. pag. 324.



iculum medullarem iterum iterumque incidit, vulnusque factum vehementer vexavit, tandem e cavo fungos emergentes observavit. Interdum scrotum abscessibus perforatur, quod saepius cum ruptura fungosa confundebatur, sed nunquam ex eorum cavo propullulantes fungi pathognomonici observabantur. Cur vero testiculus fungo medullari correptus semper in primo stadio subsistat, nondum est explicatum. Affectio testiculi sola non satis pro- vecta videtur mihi, quam ut in ea sola mortis causa ponatur. Haud dubie turbatio nutritionis et vegetationis nimia, ex glandulis et vasis lymphaticis in abdomine degeneratis prodiens, mortem praecocem inducit.

*Symptomata generalia.* Initio aegri constitutio parum afflicta videtur; interdum appetitus minor, alvus obstructa, faeces durae nec debita bile tinctae inveniuntur. Tum animus inquiete torquetur, facies cachectica, lurida fit, in genis pallidis subflavis macula rubra cernitur; musculorum vis exhauritur; alvi obstructio cum colica et diarrhoea vel vomitu alternat; respirationis perturbationes calamitatem augent; corpus macrescit; ne multa, cachexiae universae symptomata et febris hectica accedens vires tandem consumunt.

## SECTIO TESTICULI ET CADAVERIS.

Testiculus primis temporibus extirpatus haud raro uno tantum loco duritiem prodit, quae tensione albugineae effici videtur; incisione facta praeter locum, ubi materies alba subdura inter canaliculos seminiferos sparsa est, eosque sibi assimilare studuit, testiculi partes incolumes sunt. Mox tamen totus testiculus tali modo degeneratus mollescit. Substantia aequalis, quae albuginea, pres-



sioni digitorum cedente, continetur, tela est subtilissimis fibris conformata, in cuius haud magnis interstitiis massa mollis, pulposa, alba, flava vel rubello-fusca, cerebro putrido similis, deposita reperitur, quae maceratione solvitur, et stratum tendinosorum septorum, laxae telae cellulosaе simile, relinquit. Vasa, tunicis tenuioribus instructa, vel uberius vel parcius distributa sunt; quae facile laniata sanguinem effundunt fuscum, nigricantem. Volumine testiculi maximopere aucto, superficie inaequali tuberculosa, hic dura illic molli, fluctuationem praebente, tumoris interiora spongiae instar varia strata offerunt, septis membranaceis segregata, quorum interstitiis sive capsulis aut cystides aqua repletae, aut massa mollis, lutea, oleo spisso vel substantiae medullaris similis, vel durior, tuberculosa, fibrina, flava, aut sanguis coagulatus nigrofuscus, aut massa cartilagini similis, vel ossea acuminata continentur.

Tunicae testiculi, primis in stadiis haud raro omnino integrae, in posterioribus concretae et degeneratae, saepius fluidum aquosum vel purulentum tenentes, inveniuntur, quod similitudinem cum Hydrocele adauxit. Si nonnunquam perforatae inveniuntur, soli abcessus scroti accusandi sunt. Semel ab Astley Cooper tunica vaginalis propria testiculo ipso integro in fungum medullarem degenerata reperta est.

Testiculus alter, nisi paulo atrophicus, plerumque incolumis est; rarissime testiculus uterque correptus.

Pars funiculi spermatici scrotalis seu externa, si quidem propter glandulas lymphaticas hac in parte deficientes rarius degenerata invenitur, plerumque salva organorum structura tumefacta est; praesertim venae eius dilatatae, parietes vasorum lymphaticorum condensati, tela



cellulosa amplificata est. Malo longius provecto, partes funiculum spermaticum constituentes aut tumefactae, induratae et tuberosae, aut molles et in materiem albam, liquidam, cerebro similem conversae sunt. Supra funiculum castratione persectum in scroto plerumque per primam intentionem sanato cicatrix firma apparet; saepe funiculi rudimentum integrum, sed interdum, velut in agarici petiolo, massa alba medullaris, magnitudine nucis iuglandis vel ovi, ei inhaeret. In canali inguinali saepius etiam, quam in scroto, funiculus salvus reperitur, sed in abdomine iam priore in stadio glandulae lymphaticae spermaticae tumefactae, et in materiem fungoso-medullarem degeneratae sunt. Mox tamen pro natura maligna morbi omnia organa vicina pone peritoneum sita, uti funiculus spermaticus, ureter, vesiculae seminales, prostata, nervi, arteriae et venae minores, renes ipsi, in degenerationem abeunt. Quorum organorum vestigia, etiamsi initio adhuc distinguuntur, mox omnia in tumorem, peritoneum a pariete dorsali removentem, columnae vertebrali inhaerentem, ad immanem amplitudinem auctum, mutantur. Tumor incisus molem aequalem, lardaceam, postea molliorem, cerebro putrido similem, fungo medullari testiculi analogam ostendit. Haec destructio semper serius ocius fungum medullarem testiculi comitatur, quam primum venenum resorptum infectionem generalem effecerit. Quo facto glandulae lymph. progressive secundum decursum vasorum lymphaticorum plexus spermatici, sacralis, iliaci, hypogastrici, in magnum plexum lumbarem vel renalem hiantium, corripuntur. Intumescencia ab annulo inguinali interno adscendens et crescens maximum plerumque obtinet ambitum in vertebrae lumbaribus, or-



gana cavi abdominis prae se trudit, eorumque functionem disturbat. Aorta descendens et vena cava inferior servantur quidem, sed tunicarum degeneratione lumen minuitur; Astley Cooper semel venam cavam inferiorem fungosis secretionibus oblitteratam invenit. Renes, qui primarie et secundarie, ex parte saltem fungo medullari tentari possunt, praeterea saepe amplificati, molliti, degenerati, hydatidum pleni etc. sunt. Similes tumores in cavo mediastini postico, e degenerato ductu thoracico orti, sicuti in glandulis bronchialibus, inveniuntur. Lobstein<sup>1)</sup> tales tumores citra in fungo medullari testiculi, etiam benignos, ambitu solum nocentes observavit, iisque nomen „tumeurs rétropéritonéales, et thorachiques rétro-pleurales” imposuit.

Sed etiam viscera in peritoneo suspensa ab infectione consecutiva non tuta sunt. Omenta et mesenterium saepe glandulis destructis maioribus minoribus plena. Hepar plerumque particeps mali fere omnibus, qui alias in eo primitus nasci possunt, morbis obnoxium est. Fungus medullaris ipse forma tuberum in superficie hepatis haud raro iam prius apparet. Splen rarissime fungo medullari correptus, nonnunquam volumine auctus, sanguine oppletus est. Pancreas raro consecutiva passione tentatur. Ventriculi et intestinorum affectiones, nisi ex dislocatione vel pressione tumorum prodiissent, non observatae sunt; veruntamen saepius pars horizontalis duodeni inferior cum tumore concreta, imo adeo degenerata est. Cacchexia fungosa vehementer progressa, in cerebro ipso fungi medullares secundarii observabantur.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Traité d'anatomie pathologique, à Paris 1829 Tome I. Article IV. du fungus médullaire pag. 446 et 454.

<sup>2)</sup> Medico – chirurgial Transactions. London 1812. Vol. III. pag. 59. A case of diseased testicle by H. Earle. — Meckel



*Disquisitiones chemicae et microscopicae.* Ante decennium etiam tumores maligni e massa homogenea non organisata, corpori animali aliena, specifica, consistere dicebantur. Ill. Ioannes Mueller <sup>1)</sup> tandem elementa penitiora tumorum microscopii ope examinare conabatur, eoque modo distinctionem essentialem stabilire. Miratus tamen invenit, elementa eadem esse, quae sunt sanorum normaliumque organorum. Non plus elementa, tam microscopica quam chemica tumorum malignorum atque benignorum differebant, quibus, cum alia etiam essent communia, divisionem physiologicam tumorum benignorum et malignorum complecti cogeatur.

Eodem opere ostendit, naturam fungi medullaris et scirrhi non solum anatomicam et chemicam esse eandem, sed etiam affinitatem physiologicam existere inter morbos, initio huius saeculi tam strictè distinctos, sed symptomatibus modo diversos, fungumque medullarem nonnisi speciem canceri esse. Ambo enim morbi sunt constitutionales et ad exitium rapiunt aegrotum. Simul non in eodem corpore solum, sed interdum in eodem tumore existunt. <sup>2)</sup> Operatione ablati semper redeunt, nec raro alter alterius locum explet. Ambo organa adiacentia destruunt et in

---

Handbuch der pathologischen Anatomie, Band II. Abtheilung II. pag. 329.

<sup>1)</sup> Ueber den feinern Bau und die Formen der krankhaften Geschwülste. Berlin 1838.

<sup>2)</sup> Journal der Chirurgie u. Augenheilkunde von Gräfe und v. Walther. Berlin 1833. Band V. Heft 2. pag. 220.

Heusinger's Berichte der anthropotomischen Anstalt zu Würzburg. 1826. pag. 31.

Baring, über den Markschwamm der Hoden. Göttingen, 1833. pag. 30.



telam sibi parem convertunt. Uti in scirrho, ita in fungo medullari vasa nutrientia pro stadio evolutionis plus minusve sunt distributa. Amborum elementum chemicum praecipuum est albumen; per spatium octodecim vel viginti quatuor horarum instituta coctione nihil vel pauxillum collae (ex tela cellulosa inhaerente) reddunt; praeterea adeps liber iis inest. Quae omnia satis luculenter fungum medullarem et scirrhum esse eundem morbum, probare mihi videntur.

Materies alba, subflava, cerebriformis fungi medullaris, nucleis, cellulis vel sphaericis vel ovalibus, quae globulis puri propriis maiores sunt et in pariete plerumque nucleum tenent, cellulis caudatis vel fuso similibus crystalisque sparsis a Gluge<sup>1)</sup> nonnunquam observatis, formata, et in stromate fibrato subtilissimoque deposita est.

Quae omnes elementares formationes inferiore evolutionis gradu utuntur; tales enim in corpore sano, sed embryonum solum, reperiuntur; in corpore hominum natorum iam ad fibrillas et fibras coniunctae et excultae sunt. Si interdum materies fibrata esse videtur, causa est in corporibus certâ quadam lege et directione locatis, et haecce elementorum locatio, una cum nexu, compositione et combinatione, praecipuum est tumorum discrimen microscopicum.

## A E T I O L O G I A.

De *causa proxima* non loquamur; quippe quae in aliis iam morbis obscura, in fungo medullari, itidemque testiculi minime investigata sit.

Ne de *causis* quidem *praedisponentibus* aliquid certi

---

<sup>1)</sup> Müller's Archiv, 1837. 5. pag. 465.



scimus. Alii scrophulas<sup>1</sup> aliasque dyscrasias accusarunt, quarum tamen saepissime nullum vestigium demonstrari potest. Plerumque morbus testiculum virorum optima, ut videtur, valetudine gaudentium, nec raro absque ulla causa accidentali praecedente, aggreditur. Alii, videntes, fungo medullari iuvenum virorumque, qui vix triginta annos superarunt, testiculum corripì, causam praedisponentem in summa huius organi evolutione et actione, aetatis illius propria, quaerebant, sed morbus ipse apud infantes ab Astley Cooper<sup>1</sup>), H. Earle<sup>2</sup>), v. Ammon<sup>3</sup>) et apud senes<sup>4</sup>) observabatur. Magis testiculi sensibilitatem et vulnerabilitatem accusaverim, et consensum cum aliis, imo remotioribus organis, ut cum parotide, glandulis inguinalibus et tunica mucosa urethrae. Sed non silentio praetermittamus relationem viciniae vasorum lymphaticorum testiculi eorumque abdominis; interdum enim plexus lymphatici cavi abdominis, praecipue plexus lumbaris et renalis, prius, quam testiculus, morbo tentantur, et tentati demum irritationem morbosam degenerationemque directione consuetae contraria intrinsecus extrorsum, desuper deorsum propagant testiculum versus.

Inter *Causas occasionales* praesertim insultus mechanici et frigus vigent; sed irritationes ex gonorrhoea suppressa, ex nimia testiculorum actione, ex residuis orchitidis etc. haud minoris momenti esse videntur.

Quae cum ita sint, morbum in corpore praexistere

---

<sup>1</sup>) Dictionnaire des Sciences. Tom. 20. pag. 148. Art. Haematode de Breschet.

<sup>2</sup>) Medico-chirurgical transactions. London 1812. Vol. III. pag. 59. A case of diseased testicle.

<sup>3</sup>) Froriep's chirurgische Kupfertafeln. Heft 42.

<sup>4</sup>) Historia morbi accedens.



credo; testiculum vero insultatu irritatum ut locum minoris resistentiae corripit. Diathesin fungosam semper primariam statuere placet, quae ante morbum localem aut occulta in corpore exstiterit, aut symptomatibus cacochymiae generalis iam se prodiderit. Nam ut omnium morborum malignorum cancosorum, ita et fungi medullaris natura est constitutionalis. Seminium quoddam, ex diathesi fungosa ortum, specifica vi omnia destruendi praeditum, inter telam normalem sanamque organi cuiusdam sub forma cellularum embryonalium, microscopio discernendarum, depositum esse iudico. Multi quidem non admittunt diathesin talem et seminium specificum, velut obscurum neque veram naturam dilucidans; sed multi vitae processus, tum normales tum pathologici, nominibus designantur, quorum natura ad hodiernum usque diem neque illustrata est, nec unquam fortasse illustrabitur.

## DECURSUS ET EXITUS.

Decursus fungi medullaris testiculi chronicus est, sed multo rapidior, quam scirrhi. Dies supremus semper serius ocinus incursat. Interdum incrementum testiculi affecti tam rapidum, symptomata cachexiae tam gravia fiunt, ut exitus lethalis nonnullos menses ab initio intret. Interdum tamen tumor exiguus sensim post octo vel decem menses demum amplior et molestior fit, et per intervalla modo crescit; catarrhus, vel indigestio, vel nimius corporis motus eum per dies tres quatuorve magis dolentem et tumescentem reddunt, tum iterum subsistit incrementum per spacia septem dierum vel plures per menses, ita ut morbi decursus per annos protrahi possit. Astley Cooper fungum medullarem testiculi apud unum



virum duos annos, apud alterum quinque, apud tertium quatuordecim annos persistentem observavit.

Iam supra dixi, nunquam fungum medullarem testiculi secundum attigisse stadium, in quo tumor sponte extrorsum ruptus, et excrescentiae fungosae, e cavo emergentes, ortae sint.

Post operationem vulnus plerumque per primam intentionem sanatur, nihilque morborum, sectione cadaveris facta, in eo invenitur, nisi interdum in funiculo spermatico persecto tumor exiguus fungoso-medullaris. Primis septem diebus vel mensibus omnes molestiae operatione extinctae videntur; sed non multo post dolores eo vehementiores, nec ullae curae cedentes, in abdomine apparent, ibique manu explorante tumores, columnae vertebrali inhaerentes, spuriam exhibentes fluctuationem, ad ingentem ambitum adauctos, -pressione magis dolentes, distinguere licet; symptomata cachexiae generalis iam supra enumerata in dies crescunt et aegrotus immanibus calamitatibus succumbit.

## D I A G N O S I S.

Fungus medullaris testiculi confundi potest:

cum *Hydrocele*.

Nihil hoc fieri solet facilius. Hydrocele tamen ab infimo scroto initium capit, crescens ambitum pyriformem obtinet; a tergo tumoris testiculus plerumque distinguitur. Fluctuatio vera est et manifestior. Tumor, lumine in tenebris admoto, pellucet, nisi contentum pigmento quodam obscuro tinctum, vel tunica vaginalis condensata sit. Qua tunica vehementer extensa tumor durescit et annulum abdominalem versus circumscriptus minime hunc at-



tingit. Tumore manu compresso, testiculus ab aegroto sentitur, tamquam ipse comprimatur. Funiculus spermaticus integer et liber est, eoque suspensus tumor facilius moveri potest. Aeger vigente vi gignendi gaudet. Desunt varices venarum adiacentium, affectiones glandularum inguinalium et abdominis, deest cachexia generalis etc. etc.

cum *Hydrocele hydatidosa*,  
qua spatium inter albugineam et tunicam vaginalem propriam hydatidibus repletur.

cum morbo rariori *hydatidum* in substantia testiculi, cuius symptomata tam similia fungi medullaris testiculi sunt, ut in posterioribus demum stadiis symptomata generalia fungi diagnosin confirment.

Quorum hucusque nominatorum morborum symptomata omnino tam similia sunt, ut Astley Cooper suadeat, in casibus aliquo modo dubiis semper lanceda incidi, eo magis, quod in omnibus impune hoc fieri possit.

cum *scirrho testiculi*,  
qui morbus aetatis provectoris est et rarissime <sup>1)</sup> observatur; tumor nunquam mollescens, semper duritiei eburneae est. Superficies tuberosa, dolores lancinantes, aut permanentes, tamquam pruna imposita sit, decursus multo tardior, funiculus spermaticus ad annulum abdominalem usque tumefactus, induratus et tuberosus. Postea scrotum livescens cum tumore concrescit, deinde rumpitur et ulcus saniosum patet, e quo fungi Brassicae oleraceae botrytidi similes propullulant. Glandulae inguinales nunquam ad tantam tumescunt amplitudinem, neque tumores, in abdomine si sentiuntur, illam magnitudinem assequuntur.

---

<sup>1)</sup> Astley Cooper hunc morbum omnino existere dubitat.



cum *Sarcocele*,

i. e. cum degeneratione sarcomatosa benigna testiculi, quae, ex irritationibus aut mechanicis aut dynamicis orta, formae ovalis aequabiliter et sine dolore ad immanem amplitudinem tumescere potest, nec tamen unquam affectionem universalem inducit.

cum *induratione scrophulosa testiculi chronica*,

cuius symptomata nondum satis dilucidata sunt. Apud infantes scrophulosos vel iuvenes in periodo evolutionis ad vicesimum usque annum occurrit, saepe ab epididymide initium ducit, non dolet, pondere tantum offendit; fungo medullari durior, nonnunquam in emollitionem et ulcerationem cum effluxu seminis abit.

cum *intumescentiis testiculorum inflammatoriis*:

a. cum orchitide acuta, aut e causa mechanica, aut metastatica ex parotitide, aut ex gonorrhoea suppressa, quae tamen symptomatibus inflammatoriis, praecedente causa, decursu, exitu etc. a fungo medullari differunt.

b. cum induratione chronica ex orchitide non resoluta, quae tamen durior, gravior, sensibilior, superficiei tuberosae, per annos topica manet; saepius ab epididymide evadens ambosque testiculos adgrediens remediis resolventibus nisi tollatur, minime in meliorem statum ducitur.

c. cum induratione, quae ex orchitide chronica nascitur; durior tamen est atque ab epididymide, tactu dignoscenda, initium capit.

d. cum tumore testiculi venereo, e lue secundaria orto, qui quidem mollis, elasticus, ovalis, laevis sine maiore, sub vesperam vero ingravescente, dolore ad



quadruplum amplificari potest, sed anamnesi, symptomatibus, luem universalem comitantibus, effectu curae mercurialis rite institutae, distinguitur.

*cum varicosa testis expansione,*  
quae plerumque e provectione varicocele ortum ducit; cuius tumor non plane ovalis, ceterum inaequabilior, hic mollior, illic durior est.

*cum tunica albuginea condensata,*  
tumor tardissime crescens vix magnitudinem ovi anserini aequat. Superficies tuberosa est, durities interdum ossea, testiculi structura integra. Dolor nullus. Morbus haud raro ex Hydrocele praegressa ortus esse videtur.

*cum rarissimo abscessu pulpa testis albuginea incluso;*  
testiculus iam paullo auctus vesicae instar fluido repletus et extensae valde fluctuat.

*cum testium mollitie,* quam tamen mox atrophia sequitur.

*cum hernia scrotali accreta,*  
quo in morbo anamnesis, annulus abdominalis collo sacci herniosi eiusque contentis expletus et dilatatus etc. etc. lucem nobis suppeditant.

## P R O G N O S I S.

Quam incerta sunt multa de fungo medullari testiculi, tam certa est prognosis: pessima.

Fungus medullaris est morbus constitutionalis, malignus non solum et insanabilis, sed serius ocius mortem inducens. Nonnulli sperarunt, fore, ut ex morbo tempestive cognito, factaque castratione, etiamsi haud curatio radicalis contingat, decursus retardatio saltem efficiatur;



usus tamen nos docet, tales conatus exitum lethalem accelerasse, et symptomata in aliis locis fungo medullari correptis auxisse.

Alii per curam internam constantem, alterantem metamorphosin regressivam, vel neutralisationem seminii morbi exspectarunt, sed successus infaustus nihil potuit, quam diagnosin iam constitutam comprobare, et pristinorum sententiam de insanabilitate firmare.

Prognosis modo id spectat, ut ad quaestionem respondeamus, utrum mors post breve, an post longius temporis spatium timenda sit, et hoc praecipue ex constitutione magis minusve corrupta, ex malo locali magis minusve diffuso, ex vitae rationibus externis, ex complicatione cum aliis morbis, ex combinatione cum scirrho etc. etc. pendet. Prognosis quod ad vitam peior fit, si symptomata cachexiae generalis iam ante morbum localem exstiterunt; si testiculus sponte sine irritatione externa aegrotat; si ambo testiculi corripuntur, si iam alio in loco fungus medullaris emersit; si glandulae lymphaticae et funiculus spermaticus tumescunt; si vires exhauriantur; si tumores in abdomine distinguuntur; si macies, febris hectica, colliquationes accedunt.

Spem tamen haud abieciamus, fore ut aliquando remedium inveniamus specificum eoque invento prognosis reddatur faustior.

## T H E R A P I A.

In morbo tam crebro et pernicioso fieri non potuit, quin diversissima a medicis et interna et externa remedia tentarentur, quibus domaretur, vel certe natura eius benignior, decursusque tardior redderetur. Omnia tamen hucusque naufragium fecere in mali pertinacia et malig-



nitate. Quamobrem chirurgi a castratione, protinus post malum cognitum audacter instituenda, a remediis alterantibus, specificis et non specificis, qua aegrotum temere stimulant, eo deducti sunt, ut plurimi nil nisi curationem symptomaticam in usum vocent.

Quos varios curandi conatus propter dignitatem historicam brevibus exponam, quippe qui simul indicent, quam in re alii quaesiverint fungi medullaris naturam.

Utilitate inducti, qua *Mercurius* in inflammationibus chronicis, in resorptione tarda vel postrata, in dyscrasiis et parasitis adhibitus erat, in fungo medullari testiculi, praecipue si affectio huius organi venerea antecesserat, idem in usum vocabatur. Plus tamen detrimenti, quam commodi afferre videtur. Cailliot <sup>1)</sup> dicit: Un traitement mercuriel par salivation parut empirer le mal, et fut discontinué au bout d'un mois. La maladie avait fait des progrès sensibles etc.

*Antimonialia* et *Jodum* ab iis praesertim adhibebantur, qui scrophulas praedisponentem causam existimabant; sed temere digestionem, assimilationem <sup>2)</sup>, et iodo systema nervorum vasorumque turbarunt.

*Narcotica*, praecipue *Cicuta* et *Belladonna*, quae magnam celebritatem in incitanda resorptione impetrarunt, nil nisi sanguinis decompositionem auxerunt.

Alii <sup>3)</sup> *nauseantia* vel *emetica* et *laxantia* per intervalla certa exhibenda commendarunt.

<sup>1)</sup> Essai sur l'encéphaloides ou Fongus médullaire. Strasbourg 1823 pag. 17.

<sup>2)</sup> Gierl über den Fungus, die Struma testiculi etc. im neuen Chiron, Zeitsch. v. Textor Bd. I. Sulznach 1822. p. 305.

<sup>3)</sup> Baring l. a. c. pag. 180.



*Dzondi* <sup>1)</sup> tanquam remedium cancerum alterans *acidum arsenicosum* interne adhibuit, sed haud plus, quam alii, lucrificavit.

Num *Salia Martis*, ferrum carbonicum, ferrum phosphoricum et ferrum arsenicosum, sicuti liquor cupri ammoniato-muriatici, a *Baring* ad prosperum obtinendum effectum commendata, tentata sint, comperire non potui.

Ad locum affectum omnia, praeterea contra inflammationes chronicas, indurationes, tumores etc. laudanda, ut hirudines, frigus, emplastra resolventia, fomenta ex narcoticis et ex aceto ammoniacali diluto parata, Cataplasmata cet. applicata sunt, sed irritatio iis inducta plus nocuit, quam remedia profuerunt. *Baring* multum utilitatis setaceo ad inguina vel ad hypochondria applicato tribuit; quaeritur autem, numne eo novus paretur fungo medullari focus, in quo subito secundum stadium apparere posset?

Chirurgi tanquam ad salutis viam, ad castrationem confugerunt, qua affectionem testiculi, localem et primariam aestimatam, penitus sese exextincturos esse sperabant. Ab hac tamen temeritate sensim discedunt, videntes, organum fungo medullari correptum, extrinsecus situm et operatione ablatum dirigere morbum maiore cum aegrotorum perniciem ad organa graviora interna, uti glandulas lymphaticas, viscera abdominis, pulmones ect.

Quamobrem operationis indicationes ad primum tumoris tempus restrinxerunt, quo corpus adhuc sanum, et affectio mere localis esse videbatur. Sed quam raro innotescit morbi initium! et quam difficilis est huius sta-

<sup>1)</sup> Fr. Kerksig. Dissertat. inaugural. de Fungo medullari. Halae 1828. pag. 38.



dii diagnosis! quippe quae plerumque tum demum certa evadat, cum symptomata generalia, operationem omnino vetantia accedunt.

Equidem ergo, fungum medullarem testiculi ex diathesi fungosa corpore praeexistente nasci, opinans, castrationem nunquam faciam, sed semper *curam* modo *symptomaticam* in usum vocabo. Ad vires servandas tonica cum solventibus mitioribus exhibebo, posterioribus vero in stadiis non dubitabo, symptomatibus molestissimis narcotica opponere. Praeterea dietam blandam, eupeptam, leniter excitantem, quietem quam maximam, situm horizontalem, imperabo. Testiculum ipsum suspensorio et sacco inter femora positum sustinebo, omnemquamque eius irritationem, ipsas manipulationes defendam.

Quibus rebus si morbus non tollitur, decursus certe retardabitur.

---

Iam liceat, casum fungi medullaris testiculi in nosocomio Caritatis Berolinensi a me observatum, apponere.

Georgius Fuedner, sutor, octo et sexaginta annos natus, prioribus vitae annis identidem febrem intermittentem perpressus, ex qua physconia hepatis facile distinguenda, saepiusque redeuntes systematis gangliosi affectiones remanserant, postea in nosocomio Caritatis saepius ob ulcera leprosia crurum curabatur, quae, si plane tollebantur, turbationes abdominis augebant, nec sanatio constans erat. Quum ante hos X mensis propter ulcera eiusdem naturae iterum in nosocomio versaretur, mox post explorationem rudem abdominis testiculorumque in his dolorem obtusum sensit, simulque parvam, aequalem non dolentem intumescantiam testiculi dextri observavit. Ad quem ani-



mum non attendens paullo post nosocomium reliquit, quo tamen propter rapidum incrementum, tumoris, qui non dolore, sed ambitu, pondere, et sensatione ingrata funiculi spermatici versus interiora abdominis retracti, molestiam exhibebat, mense April. a. c. redire cogeatur. Testiculus ad magnitudinem ovi Struthioni Camelis inflatus, ponderis erat pro magnitudine eximii, superficiei laevis. Fluctutio, quamquam obscura, inesse videbatur. Pars scrotalis funiculi spermatici, non digitos duos longa, ad crassitiem nucis iuglandis intumuerat, sed per canalem inguinalem propagari non videbatur. In scroto subfusco extenso nitido plures venarum ramificationes varicosae apparebant. Cavo abdominis accuratius explorato, columna vertebrarum amplificata videbatur; praeterea physconia hepatis distinguebatur. Thorax bene constructus erat, respiratio vero difficilis et accelerata. Facies lurida, cachectica, oculi subsidentes, margine sordido circumdati. Appetitus ciborum fere nullus, lingua obducta, alvus plerumque obstructa. Languor universalis aegrotum in lecto detinebat. In cruribus ulcera leproso-abdominalia.

Morbus pro fungo medullari testiculi habebatur: aegroto quies, situs horizontalis, suspensorii applicatio et sustentatio testiculi, sacculi supra descripti ope, commendabatur. Se- et excretiones debito modo sustinebantur. Diaeta leniter nutriens erat, ulcera cruris fomentis ex infuso florum Chamomillae tractabantur.

Etsi symptomata localia mediocriter tantum increverunt, vires tamen aegroti celeriter labebantur. Ineunte mense Maio vomitus accessit, quo primum cibi sumti, postea mucus acidus eiiciebatur. Alvus semper obstructa, febris hectica post coenam vehementissima. Ut aliquid fieret contra anorexiam et dyspepsiam perpetuam, solutio Ammonii muriatici levior cum Tinctura Rhei vinosa exhibebatur, alvus clysmatibus aperiiebatur, abdomen ad in-



citandam diuresin solutione saponis Therebinthinati perfricabatur.

Vomitu in dies augescente collapsus virium et macies increverunt. Aeger e lectulo surgere non potuit et levissimo motu offendebar. Frustra ad sedandum vomitum sumsit

℞ Natr. carbon. acidul. 3j

Aq. Menthae

— font. āā 3iij

Lactucarii gr. VI

Syrup. commun. 3j

Omnia, et medicamina et alimenta, sumta evomit. Non plus levaminis attulerunt

℞ Morph. acet. gr. ij

Aq. amygdal. amar. 3iij

Tinct. Theb. 3j

Aeger sub extremum tempus perpetuis vomitionibus vel vomitu vexabatur. Tandem die XXI Iun. virium inanitioni succubuit.

## S E C T I O.

Testis dextri degenerat tumor longitudinem obtulit digitorum sex et quadrantis, crassitiem digitorum quatuor, pondus librarum duarum; in cuius summitate pars externa funiculi spermatici, amibitum habens nucis Juglandis maioris, sita erat. Superficies a tunica externa liberata fasciam superficiale laevem praebuit, sub qua nonnullae venae dilatatae pellucebant. Incisione facta nil nisi fascia superficialis integra, cetera testiculi annexa et testis ipse in materiam homogeneam, steatomatosam, subflavo-rubellam apparebant mutata. Nonnulla vasa tenuiora persecta erant. In parte superiore epididymidis delineamenta flaviora et duriora distinguere poteram; infra massa flava, tuberculosa, magnitudine ovi sita erat, eiusque particulae minores per tumorem sparsae. Pars funiculi spermatici



externa similiter erat degenerata, sed in pariete posteriori praeter fasciam superficiale[m] musculi cremasteris stratum tenue animadvertere poteram. Distinctius in canali inguinali partes funiculum spermaticum constituentes, vasa spermatica saltem, apparebant, in cavo abdominis tamen omnes formationes pone peritoneum positae in tumorem homogeneum magnitudinis capitis infantilis, ab annulo inguinali interno renem dextrum versus situm, abierant. Cuius tumoris massa incisa, priore mollior, acumine cultelli rasa materiem lacteam non friabilem praebens, colore subflavo, cano, cerebro putrido haud dissimili, minori tamen mollitie erat; aëre tacta facillime in putrescentiam abiit. Ren dexter adhuc salvus latiori panniculo adiposo erat circumdatus, ureter tamen post brevem decursum intravit tumorem, ibique, structura pristina deleta, cum tumore coit. Aorta descendens et vena cava inferior tumore circumdatae erant, earum tunicae non amplius separari poterant. Hepar tumefactum nihil fungi medullaris ostendit. Cetera organa normalia erant.

Hic igitur casus inter rariores numerandus est, quibus fungus, ab interioribus foras pergens, primum glandulas lymphaticas abdominis corripuit, tum legem continuitatis sequens, testiculum invasit; testiculus adhuc in primo morbi stadio versari videbatur, dum tumor in cavo abdominis fungum medullarem iam exquisitum offerebat. Mira tamen erat degeneratio funiculi spermatici et tunicarum testiculi longe progressa. Non minus mira esset aetas senilis aegri, nunquam fere fungo medullari testiculi obnoxia, nisi morbus ex abdominis cavo prodiisset.



## V I T A.

---

**F**ranciscus Laurentius Fridericus Valentini, XVII. die mens. Novembr. anno MDCCCXVII Berolini, patre Francisco, Professore Regio, matre, cheu! iam defuncta, Carolina e gente Stage natus et confessioni evangelicae addictus, literarum elementa Charlottenburgi a Superintendente Mann, Berolini in gymnasio Werderiano, in chola Rathenoviensi, rectore Piper, et Boehni vico a verbi divino ministro Gravenhorst accepi, deinde in gymnasio Roslebiensi monastico, quod tunc illustrissimo rectore Wilhelm florebat, per quinque annos et dimidium ad studia humaniora incubui. Anno MDCCCXXXVII maturitatis testimonio instructus inter cives Instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus per quadriennium hisce virorum Ill. et Cel. interfui scholis.

Cel. Wolff sen. de hodegetice, logice et psychologia; Cel. Preuss de historia; Cel. Turte de physice experimentalis et pharmacia; Ill. Link de botanice et historia naturali; Ill. Mitscherlich de chemia organica et anorganica; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia splanchnologia; Ill. Müller de anatomia universa, de anatomia organorum sensuum, de physiologia, de anatomia comparata, de anatomia pathologica; Cel. Henle de anatomia universa; artem cadavera rite secandi Ill. Müller et Ill. Schlemm me docuere. Cel. Eck de physiologia, pathologia et therapia generali atque semiotice. Cel. Romberg de diagnostice morborum cordis et pulmonum physica; Ill. Horn de pathologia et therapia speciali, de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de historia medicinae, nec non de interpretandis Celsi libris; Ill. Osann de materia



medica, de fontibus medicatis, de auxilio in repentinis vitae periculis ferendo; Cel. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi, et de medicina forensi; Cel. Kluge de arte fascias rite applicandi, de ossium fracturis et luxationibus, de chirurgia generali, de arte obstetricia et aciurgia; Cel. Froriep de aciurgia et anatomia-chirurgica; Beat. Rust de chirurgia speciali; Ill. Wagner de medicina forensi practica.

Exercitationibus interfui clinicis medicis Ill. Schoenlein et Cel. Wolff; chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken, Ill. Dieffenbach, Beati de Graefe; obstetriciis Cel. Kluge; policlinicis Ill. Osann; medico-forensibus M. Wagner.

Quibus omnibus viris summopere venerandis gratias quam maximas habeo et semper habebo.

Iam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

## T H E S E S.

- I. *Fungus medullaris ex diathesi fungosa oritur.*
- II. *Mercurius in curandis morbis syphiliticis semper curationi antiphlogisticae praeferendus est.*
- III. *Opium non est specificum remedium delirii trementis.*
- IV. *Multi morbi psychici non e causa materiali sed psychica oriuntur.*
- V. *Medici in republica Romana minime omnes omnibusve temporibus fuere servi aut libertini.*
- VI. *Valetudinaria castrensia, qualia nostris temporibus florent, in usu non fuere apud Romanos.*